

Petrus de Vinea

*Ep. II 47 (Etsi potentiae
nostrae presentiam...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 47 (Etsi potentiae
nostrae presentiam...)*

gennaio 1247

Fridericus cuidam nobili significat se iturum in Ytaliā ad confusionem rebellium, propter quod mandat eum equis et armis esse munitum.

1. Etsi potentiae nostrae presentiam ad Ytaliae rebellium aspirantis exitium, per aduersarii nostri latentes insidias, ad eradicandam in Regno nostro proditiōnis cuiuslibet speciem, prout dudum uolatilī famae loquacitas et litterarum nostrarum adiectio frequenter ad tuam deduxere notitiā, tam necessariae causae quam utiles euocassent, quia tamen quibusdam proditoribus nostris in Regno morantibus, sicut lucidius pridem scripsimus, debito supplicio traditis, et Regni negotiis pro uoto iam salubriter ordinatis, liberiores sumus ad gladium et magis ad conterendas rebellium nostrorum reliquias expediti, ne detur eis ex absentia nostra gloriandi materia, uel uideatur ex mora nostra potentia tepuisse, quin potius propterea concepta spes friuola, uelut in puluere sufflantium annulletur, confusionis ipsorum tempus, bellicis aptum fortasse conflictibus anticipare disponimus, ut eo grauius commisisse se doleant, quo nostrae potentiae malleo prematurius ferientur. 2. Cum igitur personae nostrae non parcendo laboribus, in introitu proximi futuri mensis Februarii, magnificentia nostra mouere de Regno constantis propositi tenacitate firmauerit uersus partes Ytaliae, ad contritionem predictorum nostrorum rebellium, aquilarum uicticium signis explicitis et nostrorum fidelium uiribus aggregatis, potenter et magnifice processuri, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus quam pulchrum sit pugnare pro fide quam decorum dimicare pro domino, diligenter attendens, robur et animum, quos in te sine requisitione paratos inuenire confidimus, feruenter

assumas. 3. Et ut absentia nostra eis efficaciora impedimenta parturiat, sic et armorum et equorum cum omnibus fidelibus nostris iurisdictionis tuae, sis in continuo apparatu, quod magnificentia nostra te et fideles eosdem paratos inueniat, non parandos, et digne commendationis titulum uestrae deuotionis constantia consequatur, nec processum nostrum contra rebelles eosdem, ob defectum apparatus eiusdem contingat aliquatenus retardari.